

Ichneumonidarum species quatuor novae.

SUBFAM. **Ophioninae.**

**Campoplex daritis** n. sp.

♀ *C. niger* abdomine obscure rufo, pedibus testaceis, alis flavido-hyalinis. 13 mm

Testacea sunt: mandibulae, antennarum articuli 2 basales, tegulae, pedes antici, tibiae et tarsi intermedii et postici, segmentum primum abdominis fere totum. Nigra sunt: caput, mesonotum, scutellum, basis segmenti medii et antennae. Partes reliquae obscure rufae.

Caput omnino crebre punctulatum albido sericeum, genae conspicuae, clypei margine antico parum sinuoso, ocelli postici magis inter sese quam ab oculis remoti. Mesonotum conspicue sat dense punctulatum, marginibus lateralibus carinulatis. Pleurae sat crebre punctatae. Segmentum medium rugosum, flavescens-sericeum, vix conspicue areolatum. Segmentum primum abdominis longitudine mesonoti cum scutello, basi lineari tenuissima; segmentum secundum longitudine metatarsi postici, parum compressum; segmenta reliqua fortiter compressa; terebra ferruginea, longitudine segmenti sexti. Areola alarum perparva, longe petiolata, triangularis.

Ex larva *Daritis sacrificae* (Lepidopt.).

Hab. Argentina, La Plata (C. Bruch coll.).

**Eremotylus szepligetii** n. sp.

♀ *E. fusco-ferrugineus* abdomine obscuriore, antennis dilute ferrugineis, 33 mm.

Mandibulae bidentatae apice fusco, genae articulo secundo antennarum paullum breviores; clypeus irregulariter hexagonalis, latior apud angulos prope basin mandibularum; scutum nasale elongatum, in medio obsolete foveolatum; antennae breves (in hoc genere),  $\pm 62$  — articulatae; ocelli maiusculi, superiores ab oculo

lis linea angusta discreti, inter sese fere duplo remoti. Thorax robustus lobulo medio obsolete longitudinaliter impresso; segmentum medium transversim bicarinatum, carina prima (basalis) valde conspicua, sinuata, secunda obsoleta, caeterum curvatim rugosostriatum. Segmentum primum abdominis reliquis longius, fere filiforme, post spiracula subite imflatum; reliqua gradatim decreascentia. Pedes dilute ferruginei unguiculis regulariter pectinatis. Alae fulvo hyalinae, pone radialem macula hyalina (a latere infero visu concava), extus lineola brevi fulva ornata, venulis ferrugineis, cellula submediana quam mediana paullum brevior Long. capitis cum thorace 11 mm, segmenti primi abdominis 6 mm, reliquorum 16,5 mm, antennarum 25 mm, alae anticae 25 mm, terebrae 3,5 mm.

Hab. Paraguay, Encarnacion.

Cl.<sup>o</sup> G. V. Szépligetii amice dedicatus

#### SUBFAM. **Pimplinae.**

#### **Apechoneura paraguayensis** n. sp.

♀ A. flavido ferrugineoque varia, annulo subapicali antennarum et valvularum terebrae albis, alis hyalinis macula apicali fusca. Long. corp. 17 mm., terebrae 18., antennarum 13 mm.

Ferruginea; flavida sunt: caput fere totum exceptis apice mandibularum; macula magna verticis et facie postica occipitis, pectus cum pre-et mesopleuris excepta sutura inter eas et macula magna in mesopleuris infra alas, margo anticus et macula media oblonga mesonoti, scutellum, metanotum, segmentum medium excepta fascia lata transversali marginis anterioris, stria longitudinalis segmenti primi, macula elongata apicalis segmenti secundi, maculae oblongae formae ferri-equini segmentorum tertii et quarti, macula lateralis retriusque segmenti quinti. margo posticus in medio interruptus segmentorum sexti et septimi, margo ventralilateralis segmentorum omnium, pedes antici et intermedii femoribus exceptis et tibiis postice et tarsis omnino, coxae et trochanteres postici striis lateralibus exceptis, macula parva basalis femorum et annulus basalis tibiaram posticarum. Albida sunt: annulus subapicalis, 1,3 mm latus, antennarum, annulus fere apicalis 3 mm latus valvularum terebrae et annulus tarsorum posticorum, articulos 2-4 et apicem primi occupans Nigra sunt: maculae apicalse

segmentorum 3-5. tibiae posticae magnam ad partem, tarsi anteriores toti, postici basi et apice.

Caput rugulosum; dorsulum creberrime rugoso-punctatum; abdomen politum impunctatum; segmentum primum abdominis latitudine apicali ter longius tuberculis perparvis ante medium sitis; segmenta 2-4 latitudine duplo longiora

Forsan subspecies *Apechoneurae brevicaudae* Kriechb.

Hab. Paraguay, Puerto Berteni (6. X. 09)

## SUBFAM Cryptinae

### **Polycyrtus giacomellii** n. sp

♀ P. rufus capite dorsuloque nigro alboque variegatis, antennis nigris albo-annulatis, pedibus flavido-ferrugineis, alis hyalinis apice paullum infuscatis. Long. 12-14 mm.

Nigra (tamen luxurie albo-picta) sunt: vertex, articuli 9 basales et decimus septimus usque ad apicem antennarum, prothorax, mesonotum, scutellum, metanotum et pars superior mesopleurarum. Alba sunt: clypeus, mandibulae excepto apice, genae excepto margine apicali, scutum nasale, margines anticus et posticus oculorum, articuli 10-16 antennarum, prosternum, margo posticus pronoti latissime in medio (aliquandum) interruptus, 2 striae longitudinales mesonoti, tegulae, carinae laterales et macula apicalis scutelli et metanoti, macula magna et sutura postica mesopleurarum. Caeterum rufum vel rufo-testaceum, tibiis tarsisque omnibus coxis femoribusque anticis testaceis.

Spina frontalis nigra, parva, acuta; genae aequae longae atque latae; ocelli magni magis a margine postico capitis quam inter sese remoti; occiput valde emarginatum; dorsulum nitidum parapsidiis profundis; pleurae subtiliter sparsim punctulatae; segmentum medium nitidum, concavum, basi impressa, utriusque tuberculata et carina sinuosa circumdata; spinis sat acutis. Segmentum primum abdominis longius quam segmentum medium, petiolo tenui apice parum inflato; segmenta reliqua gradatim breviora. Areola alarum parva subrectangularis; cellula mediana paullum longior quam submediana.

Hab. Argentina, La Rioja (Dr. Eug. Giacomelli leg.).

---